

# **ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II**

## **Schema “De Episcopis et Ecclesiarum regimine”**

Interventi e testi di Mons. Attilio Costantino M. Barneschi  
e di Mons. Giocondo M. Grotti

ACTA SYNODALIA  
SACROSANCTI CONCILII  
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN II  
PERIODUS SECUNDA

*PARS IV*  
CONGREGATIONES GENERALES LIX-LXIV



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS  
MCMLXXII

EXC.MUS P. D. ATTILIUS CONSTANTINUS M. BARNESCHI  
*Episcopus Manziniensis*

*Quibus causis optandum sit ut episcopi e religiosis Ordinibus iisdem vestibus ac episcopi e clero saeculari utantur.*

1. Quod, ut episcopi, Ecclesiam repraesentant, non Ordinem religiosum.
2. Quod saepe vulgus quaerit utrum regulares episcopi superiores an inferiores sint episcopis saecularibus.
3. Protestantes, in locis Missionum, argumentum etiam ex hac differentia vestium sumentes, dicunt episcopos regulares non esse revera episcopos, sed vices tantummodo gerere episcoporum.
4. Ipsi religiosorum episcoporum propinquui eosdem minus potestatis habere reputant quam alios episcopos.
5. Ex disceptationibus Concilii Oecumenici Vaticani II quaedam huius disparitatis reprehensio deducta est. Iustum enim videtur atque plurimum

decet eos qui pari eademque potestate iure consecrationis pollent, iisdem quoque exterioribus signis ornatos appareant.

6. Quod haec differentia, si quando opportuna exstitit, in praesentibus tamen rerum adjunctis omnino superflua videtur.

7. Apud unum de Dicasteriis in Romana Curia, quidam episcopus regularis, qui eo advenerat ut negotiis loqueretur suae dioecesis, salutatus est hisce verbis: « Sedeas hic, reverende Pater! ».

8. S. Congregatio de Propaganda Fide saepe episcopis religiosis facultatem facit easdem vestes gerendi, in territorio propriae dioecesis, quibus alii episcopi utuntur. Qua igitur ratione duos vestitus emere debent: pro sua dioecesi atque pro aliis regionibus; immo Romae, ubi unitas in omnibus refleget oportet.

9. Inde ab anno 1920, Benedictus Pp. XV, Motu Proprio, facultatem fecit episcopis e religiosis Ordinibus induendi rochetum, ad minuendam inter episcopos hanc vestium disparitatem (cf. A.A.S., 12, 1920, p. 149).

10. Ceterum, adsunt iam in Ecclesia episcopi e Congregationibus religiosis assumpti qui vestibus pari eodemque modo utuntur ac saeculares episcopi.

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI  
*Praelatus nullius Acrensis et Puruensis*

*Animadversiones generales.*

1. Ex simplici conspectu introductionis et indicis, appareat:

a) Quaedam contradictio inter propositum (salus animarum, lex suprema [!]) et schema: prior videtur pastoralis, altera est prorsus regiminis!

b) Pars pastoralis, vere pastoralis (magisterium et sacerdotale ministerium) non sufficierter illustratur et episcopi potius videntur « administratores » quam « pastores ».

c) Difficultates in regimine, si ita loqui mihi fas sit, hucusque orientantur ex dupli capite: 1. ex Curia Romana; 2. ex Religiosis. De primo multum disseritur, sed de altero nullus sermo in schemate nostro!

2. Quando de orientali Ecclesia fit sermo, multoties verba apparent « privilegia » et similia (cf. prooemium, lin. 3).

Hoc mihi videtur non fovere unitatem, sed potius, ex distinctione frequenter repetita et hoc modo repetita, divisionem! Iam scriptum est: « L'Eglise serait-elle essentiellement latine et ouverte, par simple condescendance, aux Orientaux? » (Diocèse de Thèbes - A propos du Concile œcuménique Vatican II, Deuxième session - Sohag (Haute-Egypte) R.A.U., 1963, pag. 5, n. 2, 1. b).

Unde proponerem fusionem schematis de orientali Ecclesia cum ceteris schematibus, ita v. g., vel melius:

a) quae de Ecclesia, in schemate de Ecclesia dicatur: « Les principales affirmations dogmatiques contenues dans le Décret de Eccl. Orient. qui traitent en fait de la structure de l'Eglise, doivent entrer dans la Constitution dogmatique de Ecclesia » (*Op. cit.*, pag. 5, n. 3). Nam Ecclesia est una: « Il faut donc reprendre la constitution dogmatique de Ecclesia dans un esprit œcuménique, en tenant compte de ce que les Eglises orientales sont de l'Eglise au même titre que les Eglises latines » (*Op. cit.*, pag. 6, n. 5);

b) quae de episcopis in tractatu de episcopis;

c) quae reduci possunt ad aliquod schema, ad illud reducantur.

Concludendo, verba referam ex opere citato (pag. 7, n. 1): « Dans ce cas, il devient inutile de parler de "droits et priviléges de l'Orient": le droit commun et général doit être assez souple pour que chaque région ait légitimement ses coutumes et son droit. De cette façon, l'Orient chrétien ne paraîtra pas comme un appendice toléré à un organisme essentiellement latin, mais comme un élément à part entière de l'Eglise universelle ».

## 13

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

*Praelatus nullius Acrensis et Puruensis*

*Titulus* uti prostat non placet. Dicatur: « De episcopis » vel « De episcopis et eorum ministerio ». Ratio: *a)* In schemate *de Ecclesia*, sacerdotium, cuius episcopatus est summus gradus, definitum est — iure meritoque — sub hac luce! *b)* Ministerium latius patet quam regimen, nam omne episcopale regimen est ministerium sed non omne episcopale ministerium est regimen. *c)* Sic definitur episcopalnis activitas in lin. 14 prooemii.

*Introductio*, pag. 5, lin. 1: « animarum salus »: 1) de quibus animis, hic, fit sermo?... 2) dicatur « hominum salus »; 3) salus autem per pastorale munus non e pastorali munere!;

« Lex in Ecclesia Christi suprema »: 1) lex in Ecclesia Christi suprema, aiente ipso Domino, est amor Dei et proximi; 2) auferatur proinde!

Lin. 2: « semper »: hoc verum esset si animarum salus esset lex suprema, at cum non sit, in ipsa oratione hoc « semper » restringitur oratione temporali; ergo inutilis!

Lin. 3: « officio episcopali »: uti prostat, episcopale officium (lin. 3) et pastorale ministerium (lin. 2) videntur opponi vel saltem specifice distingui, quod falsum est.

Lin. 4: pulchra citatio divi Augustini non mihi videtur bene accommodata spiritui conciliaris nostrae constitutionis.

Ratio: 1) fideles et infideles offendit, si ad illos refertur; secus, pastores offendit; 2) citatio habet sensum negativum; forsitan, alia citatio positiva ad apostolatum fovendum melius esset.

Linn. 7, 8, 9: est fere repetitio antecedentium linearum; unde sic proponerem textum: « Praecipuum sacerdotale munus est homines ad salutem, immo ad sanctitatem ducere; et si S. Augustinus asserere non dubitavit « nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore, difficilius, laboriosius, periculosius » sunt ipsius divi Augustini verba: « animam salvasti, animam tuam praedestinasti »; unde episcopi, metu depulso et amore accensi, cum peculiari praeificantur Ecclesiae, de omnibus sibi commissarum ovium salute quasi rationem reddituri omnia impendant et superimpedant, tamquam veri pastores, ut... ».

Lin. 10: per « sicque » mutatur subiectum et ex interruptione propositionis cuius subiectum est « episcopi » oratio fit contorta et obscura; corrigitur proinde.

« Iurisdictionis potestas »: qua de ratione quod hic dicitur refertur tantummodo ad iurisdictionalem potestatem? Dicatur simpliciter « potestas » vel melius « munus »; sed insuper quid significat potestatem asserere?... et a quo vel a quibus asserendum esset?...

« Roboretur » quomodo?... Potestas est uti est, nec novum robur accipi potest nisi « ad extra » ut ita dicam; sed quid ad hoc?...

Lin. 11: « vindicetur » contra quem?... Rem sibi vindicat qui ipsam non habet; sed episcopi potestatem habent!...

« Oportet » hoc verbum estne « relictus » vulgo « rudere » alicuius anterioris compositionis?...

« Finis illum divinum »: quem... Salus animarum, evidenter, sed non est perspicua oratio praesertim fidelibus laicis et infidelibus.

Lin. 12: « ratione »: verbum non bene dicit quae essent dicenda. Melius esset dicere « actione », vel « activitate », vel aliquid melius.

Lin. 13: post « aptius » ponatur virgula! Post « expeditius » vero ad datur particula « et »; sic: « quo aptius, expeditius et fructuosius... ». Ratio est evidens.

Non omnes forsitan intelligunt vim illius « expeditius », unde simpliciter dicem: « quo aptius et fructuosius ».

Lin. 14: « haec » omittatur si ad « quae » refertur. Ratio: inutilis est. Si refertur ad « Synodus » ponatur iuxta « Sacrosancta », hoc modo: « haec Sacrosancta Synodus... ».

Lin. 15: « enuntiat... statuit... atque decernit ». Haec verba sunt alio in ordine ponenda. Ratio: ordo in dicendis expostulat gradus in expositione,

a minori ad maiorem, a maior ad minorem vel etiam secundum tempus; unde proponerem: « decernit... statuit... enuntiat », vel simpliciter « statuit » quia in hoc verbo iam includitur notio studii anterioris (decernit) et promulgationis (enuntiat).

*Adnotatio finalis:* De fontibus, nihil?...

*Ad cap. I.*

*Titulus* non placet, ratione complexitatis. Dicatur: de episcopis et Congregationibus Romanae Curiae.

*Prooemium* non placet. Haec conclusio patet ex sequentibus animadversionibus.

Lin. 1: *Sacrosancta Synodus*. Non bene nec satis definitur; dicatur: « Haec Sacrosancta Synodus » vel « Sacrosancta Oecumenica Synodus Vaticana II » vel aliquid melius.

Lin. 2: *per opportunam ... utilissimam rem se esse facturam*. Nimia verbositas quae non deceat Conciliari eloquio. Interim, si ita censem est quia hoc bonum et opportunum videtur; ergo inutilis evadit haec propositio. Tandem, modus dicendi, uti prostat, nec latinae linguae bene componitur cum huic formae semper praferenda sit illa generis neutri vel adverbialis modi.

*Animarum bono utilissimam rem*. Generaliter dicitur: utilis alicui et ad aliquam rem; unde, in casu nostro, melius esset dicere: « ad animarum bonum utilissimam rem... ».

Lin. 3: *salvis iuribus et privilegiis orientalis Ecclesiae*, (cf. quae heri dixi in animadversionibus generalibus sub n. 2).

*Episcopi*. Hic mutatur subiectum in propositione, et haec mutatio plura mihi suggerit:

1) Ubi nexus inter primam et secundam partem?... Dicere, saltem recte, non possum: censeo me facturum esse optimam rem (?) si tu habes ipsam rem de qua loquor; ac insuper, et consecutio temporum non esset spernenda!

2) Concilium potest concedere episcopis facultates de quibus fit sermo in propositione?... quo titulo?...

3) Criterium sequendum (tribuere episcopis facultates hucusque reservatas) est unicum?...

Ex iis quae audivimus in tractatione de Ecclesia, forsan, oppositum iter esset sequendum, et quidem logice, scil., ex omni et plena potestate, et quidem in Ecclesiam universam (ratione collegialitatis regiminis!...), ob rationes practicas, ad paucas restrictiones. Theoretice salvatur hoc modo primatus Romani Pontificis cui ius tribuitur restringendi facultates, et dignitas episcoporum qui non amplius videntur uti mendicantes facultates, sed facultatibus pollentes. Sed scire vellem: quantum haec affirmatio distat ab haeresi damnata Pistoriensium?...

Lin. 4: *iure communi, stabiliter*. Ponatur virgula inter « communi » et « stabiliter », vel particula « et » et ratio est evidens.

Haec tria verba *iure communi* et *stabiliter* una cum illo quod in lin. 6 appetat, scil. *reservatas*, sequentia mihi suggerit:

1) Si agitur de reservatione, agitur de re pertinenti, ex iure communi, ad episcopos; ergo, quae dixi de episcopis sub fine prioris paginae sub n. 3 essent vera!...

2) Reservationes de quibus sermo, forsitan, nec amplius essent reservatae, vel saltem reservandae. Hoc desumitur ex defectu causae et ex necessitate pastoralis munericis episcoporum, sed in hac re, nulla offendio Romanae Curiae, immo Romano Pontifici?...

3) Si Pontifex has facultates sibi vindicavit, hoc fecit ob graves rationes quae hodie non amplius existunt sed in posterum reviviscere possunt; quae cum ita sint, auferrem e textu illud « *stabiliter* ».

Lin. 6: *necessitudines*. Non placet; dicatur « *relationes* », sic: « *ad relationes quod attinet inter...* ».

Ratio: hic est sermo de relationibus non vero de necessitatibus! Ac insuper, cum non dicatur de quibus necessitatibus fit sermo, melius est, meo humili iudicio, tacere ex toto. Ac tandem, haec relatio inter Romanam Curiam et episcopos restringi non debet tantummodo ad necessaria sed extendi debet, salvo meliori iudicio, ad utilia!

Lin. 7: *percipit*. Non est conciliare verbum et nescio quo modo componatur haec debilis vox « *percipit* » cum illa « *statuit* » quam in introducione legimus. Concilii est statuere non percupere!

*Eadem*. Si, ut mihi videtur, ad « *necessitudines* » refertur, dicatur « *eaedem* ».

Ratio: concordantia pronominis cum nomine ad quod refertur.

Lin. 8: *haec*. Cui refertur?... Dicasteriis, ni fallor; tamen oratio non est perspicua et non tantum rudioribus sed excultis etiam!

Lin. 9: *episcopis, auxilio, praesto*. Multa et coacervata simul; ac insuper notandum est quod « *praesto esse* » significat « *essere a portata di mano* »; sed quomodo fiet istud? Dicasteria Romanae Curiae sunt organa Romani Pontificis, ergo *praesto* sunt illi, non vero *episcopis*!

Lin. 10: *ecclesiae universalis*. Nescio quid, in contextu, significant haec verba, nam deberent referri ad « *apostolico munere* » sed quid significat *apostolico munere Ecclesiae universalis?*...

Si bene intellexi, a linn. 6-12, haec erant clare dicenda; dixi clare dicenda quia, forsitan, dicta fuere, at non clare:

1. Sunt *relationes*, et quidem *necessariae*, inter *episcopos* et *Romanae Curiae Dicasteria*.

2. Hae *relationes* hoc modo componantur: *a)* dicasteria inserviant *episcopis*; *b)* *episcopi* inserviant dicasteriis.

3. Tum *episcopi*, tum Dicasteria sciant se cum Romano Pontifice collaborare in illius pastorali munere regendi Ecclesiam Universam.

Tamen, omnibus perpensis et oratoribus in elapsa die auditis in aula conciliaris, ad hanc conclusionem eveni: *schema nostrum, in quo multa et coa-*

*cervata, non placet nec quoad materiam, nec quoad formam;* et cum principium a quo tota tractatio pendet non sit sufficienter illustratum (collegialitas episcoporum), humiliter censeo quod *nobis non licet progredi in examine schematis*, quia ex principio quod saltem confusum dici debet, tantummodo doctrina confusa oriri potest.

\* \* \*

Post diuturnam et attentam lectionem cap. I nostri decreti, sequentia vobis humiliter propono.

*Titulus* «de rationibus inter episcopos et Ss. Romanae Curiae Congregationes» materiae non aptatur; nam pauca de hac re dicuntur.

*Forma* non videtur, meo humili iudicio, conciliaris.

*Modus* tractandi pariter non placet. En rationes, ex ipsis notis ad caput appositis, desumptae:

1) nota tertia: «Consulto... verbis utitur quae ex se abstinent a significando titulo quo facultates... sint episcopis recognoscendae...»;

2) nota quarta: «Quae in hoc articulo (2) proponuntur, omnino nova sunt».

Ad primum:

1) Verum non est quod affirmatur, nam multa sunt verba iuridica ad quae fit recursus in hoc primo capite et ex quibus fas est concludere: «facultates quae episcopis tribuuntur, iure communi illis tribuuntur»!

En verba quae apparent in pag. 6 (nihil dico de Appendice ubi saepissime citatur CIC et CICO): salvis iuribus (lin. 3); salvis privilegiis (lin. 3); iure communi (lin. 4); stabiliter (lin. 4); facultates... reservatas (lin. 6); firma potestate reservandi (lin. 14); ex rei natura (lin. 16); iure communi (lin. 18); ordinariae potestatis (lin. 19); immediatae potestatis (lin. 19); sub primatu iurisdictionali (lin. 20).

2) Et si esset verum quod in nota affirmatur, semper legitime, et in decreto nostro, multa infirmarentur; nam si episcopi ius habent, vindicare possunt quae sua sunt, secus tantummodo petere et percupere possunt.

3) Ut patet ex ipsa nota citata, qui hoc Decretum paraverunt theologis theologicam dereliquerunt quaestionem et ipsi progressi sunt ac si res esset definita; tamen si ita procedere non potest magister in docendo, nobis licitum esse potest?... Videmur, sit mihi venia, uti latrunculi furantes innixi in fide et spe advocatorum!

Ad alterum: Quae dicuntur sub n. 4 et 5 sunt nova prorsus et nemo est qui possit contradicere.

Attamen, non sufficit nova dicere; oportet ut haec nova quae dicuntur sint etiam vera et iusta.

Et meo humili iudicio, hodie, non habemus sufficientes rationes ut sententiam proferamus de hac re unde iterum atque iterum affirmo: *nobis non licet progredi in examine schematis*. Principium enim a quo tota tractatio pendet nec clarum nec definitum.

Insuper, quantam prudentiam demonstravimus in quaestione de B. Virgine Maria ne veritates ab omnibus admissae at non adhuc definitae definitur!... quare, hoc in casu, non esset sic procedendum?...

Quod si quintam notam consideramus, pauca remanent de hoc capite. Dicit textus: « iam diurna est praxis Sacrarum Congregationum utendi, sive stabiliter sive ad actum, consilio et doctrina peritorum ecclesiasticorum undique adscitorum. Nihilominus per nn. 4 et 5, vi decreti conciliaris, satis fit plurium sacrorum Pastorum petitionibus ut Romana Curia magis in dies “ internationalis ”, ut dicitur, evadat ».

Notate: si Romanus Pontifex, ut in nota asseritur, iam auctoritate sua hoc facit et fecit et quidem sive stabiliter sive ad actum, quid addit ad haec decretum Concilii?... Mihi liceat respondere: tantummodo irreverentias Romano Pontifici! Bene audivimus in aula conciliari, heri, Patrem asserentem nos aegre ferre, in nostris dioecesibus, similia si quae a sacerdotibus nostris hoc modo proponerentur.

Unde, si ex hoc capite auferamus hos numeros (4-5) quia inutiles et iniuriosi et prooemium quia non est tractatio, remanet tantummodo n. 3 « de episcoporum facultatibus » (10 lineae!); sed e titulo integri capitulis aliud esset expectandum; recte igitur, quod dixi in initio, iterum affirmo: materia non respondet titulo et vicissim.

ACTA SYNODALIA  
SACROSANCTI CONCILII  
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN II  
PERIODUS SECUNDA

*PARS V*  
CONGREGATIONES GENERALES LXV-LXXIII



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS  
MCMLXXIII

## 32

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI  
*Praelatus nullius Acrensis et Puruensis*

Post diuturnam lectionem huius cap. II et auditis in aula diversis oratoribus, ad hanc conclusionem deveni: episcopi cooperatores et auxiliares nec amplius nominentur et paulatim inter residentialles connumerentur. En rationes:

*a)* Institutio cooperatoris et auxiliaris episcopi, in se considerata, est: 1. veteri traditioni ecclesiasticae contraria; 2. modo contradictorio facta; 3. profluens non ex intrinseco dynamismo Ecclesiae sed ex malis quibus ipsa Ecclesia, hominibus visibiliter concredita quamvis invisibiliter sed firmiter a Deo recta, aegrotavit et aegrotat hucusque.

Ad primum: ratio patet ex antiqua disciplina ecclesiastica et ex ipsa institutione cooperatorum et auxiliarium episcoporum quae, saltem in sensu relativo, dici potest novissima.

Ad secundum: ratio patet ex eo quod episcopatus est munus, non honor, unde antiquitus nullus episcopus erat sine dioecesi et in unaquaque dioecesi unus tantum episcopus. Sed ope institutionis cooperatorum et auxiliarium, committitur episcopo cura gregis alterius pastoris et honori ditatur multoties civitas inter mortuos connumerata vel in partes infidelium ubi Titulatus nec fuit nec ibit et nec semper ire posset. Et cum multa, de hac re, audivimus in aula, sufficient haec pauca quae dixi.

Ad tertium: ratio desumitur ex ipso prooemio cap. II ubi legitur in initio (linn. 1-2): « in regendis dioecesibus duae, inter alias, eaeque graves saepe occurunt difficultates ».

(Cf. ad hanc quaestionem quod attinet quae dicuntur in sequenti cap. III ubi cooperatores et auxiliares apparent veluti episcopi demidiati!).

*b)* Sed institutio cooperatoris et auxiliaris episcopi est remedium inefficax, ergo reicienda quia: 1. malum non superat, 2. ad nova mala adducit.

Ad primum: malum non superat. Ratio est quia, saltem auxiliaris est episcopus sine potestate (et iam dictum est: ordo et potestas, arcto vinculo coniunguntur; sed ipsi habent ordinem et non potestatem, et sunt qui potestatem et non ordinem habent!). Et ad hoc addendum est quod audivimus in aula ex ipso ore cooperatorum et auxiliarium episcoporum!

Ad secundum: nova mala adducunt. Ratio patet ex eo quod dignitas titularis non satis in tuto ponitur nec per decretum nostrum ubi sub n. 15 § 2 sic legitur: « optandum est ut, sede... vacante, munus administratoris apostolici vel patriarchalis aut vicarii capitularis, ... committatur auxiliari », sed quaeam est vis istius « optandum est? »... Insuper, experientia docente, uti audivimus in aula, multoties oritur pluralitas regiminis in dioecesi (cf. quae dicta sunt in aula et quae scripta sunt in decreto nostro ad nn. 9, 10, 12). Ac tandem notandum est: auxiliator et cooperator datur episcopo non dioe-

cesi, quamvis in bonum dioeceseos; unde, cessante auctoritate residentialis episcopi, morte vel alia de causa, et auctoritas cooperatoris et auxiliaris cessare deberet, nam comparandi essent accidentibus qui sine substantia, per miraculum tantum, uti in Eucharistia, subsistere possunt.

*Remedium* vellem tandem indicare, prae oculis habens quae dicta fuere de curia romana («decentralizzare e... pochi vescovi, anzi, nessun vescovo!»):

1. Episcopus quoties oportuerit committat aliquibus sacerdotibus: *a*) administrationem chrismatis; *b*) administrationem curiae; *c*) visitationes.

Explicatio: ipse facit qui per alium facit et ad haec implenda, historia duce, non est necessarium character episcopalis, praesertim si consideratur institutio praelatorum nullius, et praefectorum apostolicorum.

2. Episcopus seligat suos cooperatores inter sacerdotes qui ad unitatem regiminis certe consulunt et ei, etiam senectute fracto, provideant: qui sacerdotes efformare possunt veluti senatus episcopi.

Bona quae praevideo ex hac solutione: 1. nullus episcopus sine dioecesi; 2. nullus titulus sine episcopo; 3. fere novitiatus cooperatorum quoad probabilem electionem in numero episcoporum; 4. perraro ad renuntiationem esset deveniendum.

29

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

*Praelatus nullius Acrensis et Puruensis*

Exoptatur institutio alicuius organi praevidentiae socialis in favorem cleri.

Audivimus in aula: « honores non dant panem, sed dant famem ». Et haec fuit responsio quaedam durissima, ut ita dicam, proponentibus renuntiationem, quia defectum caritatis denuntiavit inter nos.

Iterum atque iterum cap. II n. 16 examinavi et ad hanc conclusionem

deveni: « ne verba verba tantum maneant (pag. 11, n. 16, § 2, linn. 1-2) conferentias nationales instituant institutum quoddam praevidentiae socialis pro clero (episcopis et sacerdotibus), ut congruens illi provideatur sustentatio, quando casus ferat ».

Cum in multis nationibus iam habeamus conferentias religiosorum quaeque, ex voto Apostolicae Sedis, essent multiplicandae in omnibus nationibus, bonum mihi videtur ut, hoc in capite, numerus addatur in quo rationes inter conferentias episcoporum et religiosorum exponantur!

Ad n. 19, § 2. Meo nomine, sed de consensu, ut censeo, fere omnium episcoporum, contra quae statuuntur in n. 19, peto ut deleatur § 2 ubi vox activa denegatur episcopis auxiliaribus in conferentiis nationalibus.

Iam dixi me esse contra hanc institutionem, sed si servantur auxiliares in Ecclesia, debito honore ditentur! En rationes:

1. Vi ordinationis et ipsi sunt, sicut ceteri episcopi, successores apostolorum.

2. Etsi non omnia quae de collegio episcoporum dicta fuere accipiam, quaestionem propono: si auxiliares, utpote incorporati in corpore episcoporum, deberent (non possent!) Ecclesiam universam regere, cur ipsis denegatur participatio in gubernio Ecclesiae particularis?...

3. Dignitas episcopalis ipsis auxiliarium episcoporum non satis in tuto ponitur (cf. sch., cap. II, in prooemio), quia ipsis praeferendi sunt plerique Ordinarii episcopali charactere carentes, inter quos et ego!

4. Ob maiorem ipsis auxiliarium mobilitatem, saepe saepius, ipsis et non residentialibus, committitur infensissimus labor in conferentiis.

17

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI  
*Praelatus nullius Acrensis et Puruensis*

Considerato exitu suffragationis diei 12 c. m., per quem cap. V nostri schematis commissum fuit commissioni de revisione C.I.C.; considerata analogia quae viget inter cap. IV et cap. V ipsius nostri schematis, tum relate ad materiam tum ad formam et ad principium generale, propono: *committatur et cap. IV commissioni de revisione C.I.C.*